

possint, ab hoc uno pendere dicit, quod scilicet communiter supponant homines, omnes res naturales, ut ipsos, propter finem agere; imò, ipsum Deum omnia ad certum aliquem finem dirigere. pro certo statuunt; cum nempe dicunt, Deum omnia propter hominem fecisse, hominem autem, ut ipsum coleret. Causam hujus, ut vocat, præjudicii dicit esse, quod omnes homines rerum causarum ignari nascuntur, & quod omnes appetitum habent suum utile quarendi, cujus rei sunt conscii. Ex his enim, pergit, sequitur, primò, quod homines, se liberos esse, opinentur, quandoquidem suarum volitionum, suisque appetitus sunt conscii, & de causis, à quibus disponuntur ad appetendum, & volendum, quia earum sunt ignari, ne per somnium cogitant. Sequitur secundò, homines omnia propter finem agere; videlicet propter utile, quod appetunt; unde fit, ut semper rerum peractarum causas finales tantum scire expectant. Porro cum in se & extra se non pauca reperiant media, quæ, ad suum utile assequendum, non parum conducant, ut ex. gr. oculos ad videndum, dentes ad masticandum, herbas, & animalia ad alimentum, solem ad illuminandum, mare ad alendum pisces &c. hinc factum, ut omnia naturalia, tanquam ad suum utile media, considerent; & quia illa media ab ipsis inventa, non autem parata esse sciunt; hinc causam credendi habuerunt, aliquem alium esse, qui illa media in eorum usum paraverit. Nam postquam res, ait, ut media consideraverunt, credere non potuerunt, easdem se ipsas fecisse; sed ex mediis, quæ sibi ipsi parare solent, concludere debuerunt, dari aliquem, vel aliquos natura retores, humanâ praditos libertate, qui ipsis omnia curaverint, & in eorum usum omnia fecerint. Quod quam stolidè ab hominibus credi Spinozæ videatur, paulo post declarat, verbis: Sed dum quaesiverunt ostendere, naturam nihil frustra (hoc est, quod in usum hominum non sit) agere, nihil aliud videntur ostendisse, quam naturam, Deoque eque, ac homines, delirare. Ecce! res mundi non abs quodam universi hujus Rectore productas, sed à se ipsis factas. Quod tamen non ita capiendum, quasi res seipsas ex nihilo produxissent, sed, quod in DEo, qui est ens à se, (intelligit autem Spinoza per DEum à seipso existentem nihil aliud, quam universum hoc ipsum) ab æterno existant. Nam ita Eth. Part. 1. Prop. 6. supponit: Una substantia non potest produci ab aliâ substantia.